



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus L. De Missa per modum suffragii defunctis applicata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus L.

De Missa per modum suffragii defuncto applicata.

CAjus Sacerdos legit Missam in Altari privilegiato cum intentione liberandi animam è purgatorio, ita tamen, ut neque Missam de Requiem dixerit, neque ullam commemorationem pro defuncto fecerit; imò neque ipsum Sacrificium pro anima, quam liberare volebat, obtulerit occasione hujus

Quæritur I. Utrum volenti liberare animam è purgatorio pro ista Sacrificium sit offerendum?

Quær. 2. Qualis Missa volenti liberare talem animam sit dicenda?

Synopsis.

§. I.

Prænotanda.

i. Nomine Indulgentiarum ve-

nit remissio pœnæ temporalis ob peccata quoad culpam remissa.

2. Possunt fideles ad solutionem pœnæ temporalis se invicem juvare.

3. Quid nomine suffragii intelligatur.

4. Et sub Indulgentiis defuncto per modum suffragii applicatis.

5. Ut hæc defuncto profint, illarum applicatio tali animæ per quandam actionem est facienda, solùm mediatè, ac indirectè.

6. Determinatio Missæ, ut hæc profint, legendæ, à voluntate Pontificis dependet.

7. Quæ optimè colligitur ex verbis Bullæ Pontificiæ.

8. Volens probabiliter, ut Sacrificium tali defuncto applicetur.

9. Quod universaliter tutius est.

Zzz 3

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

*Qualis Missa volenti liberare talem
animam in Altari privilegiata
sit dicenda?*

10. Utrum Missa de Requiem sit necessariò dicenda, à Pontificis voluntate dependet.
11. Ex Indulto Gregorii XIII. in Altaribus privilegiatis nostræ Societatis etiam alia, quam de Requiem dici poterit, modò comemoratio pro defunctis fiat. Item quid sub nomine commemorationis veniat?
12. An hæc comemoratio pro anima, quam liberare volo, sit, facienda, etiam in Festis duplicibus.
13. Num etiam Communio pro tali anima sit offerenda, ut Indulgentias, ut vocant mentruas, lucremur.

§. I.

Prænotanda,

ANtequam quid in hac resolutione sentiamus, edicam, notandum primò nomine Indulgentiæ intelligi remissionem pœnæ temporalis, ob peccata quoad culpam jam remissa, debitæ, ita tamen, ut hæc remissio non fiat virtute Sacramentorum, vel Martyrii, sed per satisfactionem Christi Domini, & Sanctorum ab habente potestatem nobis applicatam.

Nota 2. Indubitatum esse, fideles in Ecclesia existentes se invicem juvare posse ad solutionem pœnæ temporalis: cum enim eadem Communio in ordine ad aliquid mutuò promerendum reperitur, hæc ipsa etiam dabitur in ordine ad satisfaciendum pro pœna temporali alterius, neque hoc solummodo in tantum, in quantum unus oratione apud Deum alteri remissionem pœnæ obtinet, sed etiam in eo, quòd satisfactionem aliquam veram operi suo bono, quod exercuit, debitam, Deo offerat, atque sic offerendo exolvat quasi debitum ab alio ob commissa peccata contractum, prout in humanis hoc sæpiùs contingere conspiciamus. Ad.

3 Adverto 3. Hunc secundum modum offerendi scilicet propriam aliàs, suisque operibus debitam satisfactionem pro remissione pœnæ alterius nominari suffragium; quod ipsum ulterius dividitur in suffragiū ex opere operātis est applicatio satisfactionis debitæ, commensuratæ merito intrinseco præstiti, ac pro alterius pœnæ deletionem oblati operis: e. g. facit aliquis disciplinam, & satisfactionem ex hoc pœnali opere sibi aliàs obvenerentem, antecedenter transfert, & applicat alteri, vivo aut defuncto; ex opere operato autem, est oblatio satisfactionis, quoad excessum, & operantis intrinsecum valorem exhibiti operis, provenientem scilicet ex satisfactione Christi, & Sanctorum, quæ nobis ab habente claves thesauri Ecclesiastici, in quo illi reservantur, per Indulgentias applicantur.

4 Advert. 4. Ex hætenus dictis rationem, ob quam Indulgentiæ, mortuis applicandæ, dicuntur iisdem applicari per modum suffragii. Volumus scilicet dicere, ejusmodi Indulgentiam animabus defunctis appli-

cari modò, quo iisdem applicantur à viventibus alia opera pia satisfactoria, quæ appellantur communiter suffragia. Solent autem Indulgentiæ applicabiles defunctis vel esse talis naturæ, ut aut ipse lucrans possit sibi, vel defuncto applicare, vel ut determinatè sint applicabiles soli defuncto, non autem ipsi lucranti: has posterioris generis Indulgentias imitatur privilegium alicujus Altaris privilegiati.

Advert. 5. Eo ipso, quòd vi Altaris privilegiati per modum suffragii possit liberari anima à Sacrificante, hanc liberationem, atque Indulgentiam mediante aliqua actione tali animæ applicanda faciendam esse, ad mentem scilicet S. Thomæ in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. asserentis, non posse ullas Indulgentias defunctis directè, immediatè, ac principaliter, sed solum indirectè concedi, in quantum alicui viventi subdito traditur jus satisfactionem certi cujusdam operis ad majus meritum ex satisfactione Christi, ac Sanctorum elevati transferendi in aliam personam vivam, aut defunctam.

Advert. 6. Totam modò difficul-

ficulratem in eo sitam esse, ut scilicet veniamus in mentem Pontificis, & sciamus, qualem Missam, vel Sacrificium ipse elevaverit, ut Indulgentia exinde obtinenda defuncto applicari possit: an Pontifex solummodo requisiverit, ut Missa in tali Altari privilegiato dicatur, cuiusque demum illius fructus offeratur, vel an expressè requisiverit, ut valor satisfactorius illi defunctæ animæ applicetur, cui per modum suffragii subvenire decernimus; si enim hoc ultimum exposcit, consequens est, ut liberetur talis anima, offerendo pro illa Sacrificium, si enim hoc non fiat, jam non ponitur illud opus, quod Pontifex elevavit, eò quòd solum Sacrificium pro defuncto oblatum ab eodem fuerit elevatum; si autem hoc posterius Pontifex requisiverit, si prior fuerit contentus, necessaria tamen est in lucrante Indulgentias pro defuncto per modum suffragii intentio determinata lucrandi illas pro defuncto, prout requiritur intentio determinata ad applicandum proprium suffragium alicui defuncto. His præmissis,

Dicimus: Hanc mentem optimè colligi ex verbis privilegii in Bulla Pontificis contentis, si enim hæc ita sonent: *Dicendo, aut offerendo Missam pro defuncto, liberat animam ejus è purgatorio*: necessarium erit, ut offeratur Sacrificium pro tali defuncto: quodsi autem ita sonent: *Dicendo Missam, vel quoties Missam dixeris, toties liberat animam è purgatorio*, aliquibus videtur non esse necessarium, particularem fructum talis Sacrificii, tum ex opere operantis, tum ex opere operato ejusmodi defuncto applicari, sed solum beneficium Indulgentiæ, quod tamen nobis minus verosimile videtur; quia enim ordinariè in Bullis expressum est, applicationem talis Sacrificii ejusmodi animæ faciendam esse, hinc censendus est, Pontifex etiam in aliis quoque similibus casibus, ubi per Sacrum liberari anima è purgatorio potest, manere in illa sua ordinaria opinione, & voluntate, etiamsi hæc hinc & nunc non fuerit expressa.

Quod confirmat declaratio facta à nostris Superioribus, qui attestante P. Gobat casu 29. tract. 3, n. 55, in suis *experientiis Theologicis*,

gicis, docuerunt, sacra animabus, quas in quovis Altari celebrantes lucrari volumus, applicanda esse. Secundò. Juxta Cardinalem de Lugo, si Missa non offerri debet pro defuncto, quem volo liberare, difficulter salvatur, quomodo per modum suffragii, & indirectè tantum, non autem immediatè, atque directè liberatur anima. Probatur: per modum suffragii alteri subvenio, quando satisfactionem aliàs ratione peracti operis pœnalis debitam transfero in alium, & quasi soluto tali pretio debitum ab alio contractum apud Deum expungo: sed quando valor satisfactorius Sacrificii nullo modo applicatur, & offertur pro defuncto, tunc ego satisfactionem Sacrificio oblato correspondentem non transfero in alium, neque exhibeo illam tanquam pretium pro aliis debito expungendo divinæ justitiæ: ergo neque tali animæ per modum suffragii subvenio hoc Sacrificio: atqui Pontifex expressè dicit, me per modum suffragii liberare posse animam: ergo hoc erit necessarium. Tertiò. Quàm plurimi Doctores defendunt,

posse Pontificem alicui viventi donare Indulgentiam, etsi non habeatur ulla ratio alicujus operis ab hoc præstandi, sed ob sola merita, ac vim satisfactoriam Christi, atque Sanctorum, aut intuitu meritorum, quæ certus Sanctus Ecclesiæ præstitit: vel ob aliquod opus ab alio quodam vivente Christiano præstitum: talis Ingulgentia ejusmodi vivo concessa in omnibus conveniet cum Indulgentia mortuo concessa, si non est necessarium, ut huic applicetur fructus satisfactorius Sacrificii, & tamen nemo diceret, tali viventi per modum suffragii donari hanc Indulgentiam: ergo concessio Indulgentiæ per modum suffragii dicit aliquid aliud, ipsam scilicet applicationem fructus satisfactorii pro defuncto. Ulteriùs talis Indulgentia modò explicata censeretur immediatè, atque directè tali vivo concedi: ergo etiam concedetur directè, ac immediatè defuncto, si huic non applicetur fructus satisfactorius Sacrificii: atqui juxta omnes defunctis applicantur duntaxat indirectè.

Confirmatur. Si fructus satisfactorius

A a a a

facto-

factorius non debet applicari animæ, quam vult liberare, potest Sacerdos accipiens stipendium ab aliquo, ut legens in Altari è purgatorio liberet nuperimè defuncti animam, adhuc aliud quoddam accipere ab alio, & huic dein applicare fructum totius Sacrificii, quod tamen ab omnibus improbatum manet.

Confirmatur denuo: Talis liberatio animæ è purgatorio est sine dubio fructus aliquis Sacrificii: sed fructus Sacrificii applicatur per oblationem, sicuti fructus Sacramentorum per collationem: ergo debebit fieri applicatio. Denique sententia requirens applicationem fructus satisfactorii, pro anima videtur melius salvare verba Bullæ Leonis X. in Decretali quadam dicentis, Indulgentiam aliquando per modum absolutionis concedi, aliquando verò per modum suffragii transferri: atque melius salvatur in dicta sententia hoc verbum transferri, quàm in opposita: si enim dicitur animam liberari, quia Sacerdos fructum satisfactorium Sacrificii, quem potuisset sibi ap-

plicare, hinc & nunc transfert in animam, & hoc modo eandem liberare; melius utique salvatur, quomodo aliquid transferatur, quàm in sententia opposita, licet enim Indulgentiam animæ defunctæ donet, non tamen apparet, quomodo transferat aliquid, quia illam Indulgentiam ponitur, non posse sibi applicare.

Patet itaque. Si non probabilius saltem æquè probabile esse, ad lucrandam animam necessarium esse, ut fructus satisfactorius Sacrificii applicetur defuncto, cum igitur in hac re, quæ tota quanta dependet, à solius Pontificis voluntate, semper certior via sit eligenda, neque inculcata ignorantia, aut error defectum suppleant; ideo universaliter tutius, atque suadendum omni modo aliis erit, ut Sacrificium quoad fructum satisfactorium saltem pro anima tali offerant, tum quod fortasse hoc modo sufficiens causa dabitur ad lucrandam integram Indulgentiam, quæ aliàs non esset, prout videtur Palao *tom. 4. tract. 24. disp. unica. pun. 10. n. 9.* tum quòd ipsius Pontificis animus

mus non satis perspectus nobis sit. Hinc optime apud Dianam *part. 9. tract. 3. Resol. 24.* advertit Bordonus, Missam producere suum effectum respectu animæ illius, cui applicatur Indulgentia Altaris, & privilegium: quia esto liberari posset anima per Indulgentiam Altaris, quia tamen id nobis non constat, ideo & Missæ Sacrificium eidem intelligitur applicatum, quod inter alia remedia pro solutione pœnarum est efficacissimum, infallibile, quod DEUS semper accepat, cum ex ipso Tridentino *sess. 22. c. 2. & Can. 3.* constet Sacrificium ex propria virtute sua, & ex opere operato tali animæ in purgatorio conferre effectum satisfactionis pro pœna temporali.

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

Qualis Missa sit dicenda volenti in
Altari privilegiato liberare
animam è purgatorio?

10 **V**ldimus in antecedentibus,

ipsam Missam pro defuncto, quem liberare volumus, applicandam esse, modò ulterius quaeritur; an debeat necessario esse illa Missa de Requiem, & si hoc non sit necessarium, an saltem commemoratio pro defunctis facienda sit. Circa quod dubium omnibus Aucto-ribus certum sit, non esse universaliter, per se, ac quasi ex essentia necessarium, ut dicatur de Requiem, sed pendere istam circumstantiam ab ipsa voluntate Pontificis, inspiciendam itaque Bullam esse. Pater Gobat in *Quinario Tractatum tract. 4. part. 2. cap. 26.* affert communem aliquam formulam ejusmodi Brevium, in qua hæc leguntur: *Quandocunque Sacerdos aliquis ejusmodi Ecclesie duntaxat Missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, & singulis diebus infra Octavam illius, ac feriâ secunda cujuslibet diei hebdomadæ pro anima cujuscunque fidelium defunctorum ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesie per modum suffragii Indulgentiam consequatur.* Quod si igitur singulæ Bullæ ad normam allatæ fuerint conscriptæ, extra controversiam erit

A a a a a

ne-

necessaria Missa de Requiem, additque memoratus Auctor hanc Missam de Requiem, etiam si non fuerit id expressum in Brevi, esse nihilominus necessariam, si velimus stare declarationi Congregationis sacrorum Rituum id ipsum declarantis apud Barbosam v. *Missa defunctorum collect.* 478. Item apud Dianam *part. 3. tract. 4. resol.* 233. quibus decisionibus tamen postpositis Bellizarius contrarium defendit, eò quòd suo iudicio decisiones Cardinalium nullam legem communem, sed opinionem duntaxat probabilem efficiant, cui opinioni etiam P. Gobat suffragatur, si latam ab iisdem sententiam Summus Pontifex non approbaverit.

II Quòd si autem de Altaribus privilegiatis nostrorum templorum Societatis scilicet differamus, attestante eodem Gobat ex Indulto Gregorii XIII. etiam Sacerdotes sæculares liberare animam è purgatorio poterunt, etsi non dixerint de Requiem, modò commemorationem pro defunctis fecerint, oritur autem modò non levis controversia, quidnam hoc loco

sub nomine commemorationis veniat: an sufficiat recordatio defunctorum in Memento facta, vel requiratur collecta pro defunctis interposita, quo in dubio videntur melius sentire, qui collectam interponendam asserunt, eò quòd nomine commemorationis collectam intelligunt Rubricæ Missales, ac Breviarii, & Capitulū. *Placuit* 23. q. 5. Accedit etiã ratio: si enim nomine commemorationis Pontifices non plus requirerent, quàm recordationem in Memento pro defunctis factam, non fuisset opus hac insinuatione, cum etiam per se, atque ex præscripto aliàs facienda sit recordatio, & Memento, ut vocant, pro defunctis.

Ex hoc autem dubio aliud novum resultat: si enim collecta pro defunctis facienda, fieri hæc debet pro illa determinata anima in particulari asserendo talem orationem, cui inferi illius nomen debeat, vel sufficiet generalis: *Fidelium Deus omnium &c.* Si praxin consulamus, hanc generalem sufficere asseremus. Ulteriùs quid agendum in Festis duplicibus, eritne tunc inserenda collecta pro defunctis? Respon-

spondet Gobatus saltem in Festis primæ Classis eandem omit- tendam esse, ? Sed si omiſſa fu- erit, poteritne liberari nihilomi- nus anima è purgatorio ? Re- spondet idem Auctor, se noluiſ- ſe hoc ipſo dicere, acquiri In- dulgentiam pro defuncto, ſi o- mittatur illa collecta, licet hanc in illis Festis omitteſſam judi- caverit: quibûs verbis indicat, ſe ad minimum dubitare de va- lore talis Sacrificii, quoad libe- rationem animæ, eò quòd de- bita forma, & non omnes cir- cumſtantiæ ad hoc requiſitæ fue- rint obſervatæ,

13 Hæc, cum certiora non ſup- petant Authores, attuliſſe hoc loco ſufficiat: ſolvenda tamen reſtat objectio, quàm primi du- bii reſolutioni opponunt: ſi e- nim, inquiunt, offerendum e- rit Sacrificium pro defuncto, quem liberare intendo, erit pa- riter in menſtris Indulgentiis offerenda Communio pro ani- ma liberanda: hoc autem eſſe falſum teſtatur Gobat allatis plu- ribus Auctoribus *tract. 3. c. 27. n. 295.* Item & ratio: ſi enim ora- tio non debet pro illa offerri, neque debet Communio. Se-

cundò. Applicatione ſacræ Com- munionis pro defunctis tan- quam conditionem non requi- ſiverat Pontifex: ergo non de- bebit à nobis requiri, non enim illam expreſſè requiri conſtat ex Bullis: implicite autem ean- dem deſideratam fuiſſe, gratis dicitur, cum hujus aſſerti nullum aliud quippiam afferri valeat, ex quo tanquam ſigno quodam ex- plicite erueretur implicita illa voluntas Pontificis. Accedit, quod reſpectu orationis clarè, atque explicite aſſignavit inten- tionem, ad quam à volentibus lucrari Indulgentias ea dici de- bet: ergo ſi circa orationem ex- preſſè intentionem præſcripſit, non autem circa cætera requiſi- ta, clarè colligitur, Communio- nem non eſſe pro defuncto of- ferendam. Reſpondeo itaque diſparitatem, quoad applicatio- nem Sacrificii, & Communio- nis pro defunctis petendam ex voluntate Pontificis volentis, ut Sacrificium pro defuncto offe- ratur, quæ ipſa mens, cum non conſtet, circa applicationem Communionis, quòd fuerit ha- bita, ideo hæc non erit appli- canda, quin imò contraria

Pontificis in hoc puncto sententia præter allatas rationes desumitur ex eo, quod Indulgentiæ mensuræ ab initio solis viventibus concessæ fuerint, & postmodum immutatæ à subsequentibus Pontificibus ad animas è purgatorio liberandas extentæ fuerint: sicut igitur, dum vivis solis poterant applicari, Communio non erat offerenda pro defuncto, ita neque erit, dum applicatur pro defuncto. Dein etiam in arbitrio lucrantis est etiam sibi applicare illas In-

dulgentias, in quo casu Communio non erit offerenda pro defunctis: ergo cum requisita sint utrobique eadem, neque erit necessaria applicatio, si velim liberare animam. Ultimò denique sciendum, Innocentium X. unicè mentionem facere animarum quoad applicationem Indulgentiæ: ergo sola donatio tanquam effectus subsequens in animas defunctorum debet tendere.



IN-